

1596 Illyrico erant, trecenti Itali pedites, Mario Gazio, Moretti olim Calabri filio, praefecto, tributi.

Illyrici
fines & in-
colarum
mores.

Locus exposcere videtur, quoniam saepius de Illyrico verba habenda sunt, ut brevibus de situ, incolarum moribus, urbibus ejus regionis pauca quaedam perstringam. Illyrici fines priscis tempestatibus late patuisse constat; quidquid enim Italiae ac Germaniae superioris finibus ab occasu; ortu Macedonia, Thracia, Epiro; septemtrione Danubio; meridie Adriatico continebatur: id omne Illyricis tribuebatur. Nostra tempestate, qua Illyricum a Dalmatia non sejungitur (quamvis veteribus, ut ex Appiano liquet, Dalmatae partes Illyricorum sint) arctioribus finibus, Istria nempe, Epiro, Boffina, superoque mari coercentur. Appiano & Plinio a Delminio vetusta civitate nomen Dalmatia accepit. Gens procera, praevalida, laboris patiens, animo elata, fastu, quem inde a Diocletiano trahit, tumida; perpetuis inter nobilitatem ac plebem diffidiis afflicta. Praecipuae in ea urbes ab oriente Epidaurum, *Ragusium* hodie, praescae Epidauri colonia, quondam Venetis subjecta, hac tempestate in Reipublicae formam redacta, in Turcarum Imperatoris tutela, cui duodecim millium aureorum vestigal quotannis pendit, conquiescit. Salona, insigne olim emporium, in litore sita, poetis percelebris, cujus modo praescae amplitudinis exigua vestigia cernuntur. Ex ea Spalatum, colonia, prodiit, nunc archiepiscopatus sedes, cujus jura in Boffinam atque aliquot Croatiae loca extenduntur. Inde Tragurium, reliquis Dalmatiae civitatibus, agro superiore bello retento, fortunatius, oppositam insulam cognomine Buam habet. Ulteriori in orientem excursu Sicum Ptolemaeo, hodie *Sebenicum*, inter Scardonam & Tragurium inspicitur, ob perennes aquae fontes ei natura negatos, forsitan ita nuncupatum. Scardona sequitur, praescae Scardonae colonia, portusque ad Tirum amnem, vulgo *Cercam*, quo praescae Dalmatia olim a Liburnia sejungebatur, licet ambae eodem Dalmatiae nomine modo comprehendantur. Liburniae olim caput Jadera erat, quae archiepiscopatus dignitate fulgens, situ, munitione, in quam immenso Reipublicae sumptu excrevit, propugnaculum totius Dalmatiae habetur. Haud longe Oenona, vulgo *Nona*, jacet, turcico

di-